B. ... Regis S. J.



Manicecki fran. S. J. Emerit. honores novo Galliarum Apostolo B. Joan. fran. Regis —

# EMERITI HONORES
NOVO GALLIARUM APOSTOLO
# BEATO
IOANNI FRANCISCO
# REGIS
SOCIETATIS IESU
IN BEATORUM ALBUM RELATO
Delati.

REVERENTISSIMO DIVI TUTELARIS ANIMO
â postremo Cultorum
Manicki. Adorati

ANNO
Divini Verbi humanum genus honorantis
1720.

*Zamoscii Typis Universitatis.*

# ILLVSTRISSIMO
# &
# EXCELLENTISSIMO
# DOMINO
# D. SEVERINO
In Rozdoł & Reiowiec
# RZEWUSKI
Palatinidæ Podlachiæ
CAPITANEO CHEŁMENSI &c.
Polonæ Iuventutis
# DUCI.

DEbebatur hoc Cælestibus dotibus, Divinæq; indoli tuæ ILLVSTRISSIME & EXCELLENTISSIME DOMINE, ut inter Divorum Encomia Famæ Tuæ sanctitas cēseretur, qvi in ætatem involans firmiorem, absq;
novo

novo nec moves nec figis gradum miraculo. Hæc ſunt Virtutis, hæc Avitæ Soleæ tuæ veſtigia, qvæ noſtra adorant Secula, ſecutura facile conſecrabit poſteritas. Qvid enim? teneram ætatem tuam maturi ſemper commendâvere mores, primam, poſtremæ ſenectutis occupavit gravitas, lubricam, fortior annis ſolidavit integritas, & ut ille in rudem Gratiani congeſſit juventam: *nullum tu unqvam diem ab adoleſcentia tua, niſi adorato Dei Numine & Voti reus & ilico abſolutus, egiſti, mente purâ, & qvod in paucis eſt cogitatione ſincerâ; cuius unqvám egreſſus auſpicatior fuit, aut inceſſus modeſtior &c:* Annis ætatem aliorum metimur, IVVENIS EXCELLENTISSIME, ut credantur viri, colantur probi, Tibi nulla non ætas, ut Virtutum ferax eſt, ita parit admirationem, qvi pene prius in ſtudia Virtutum incumbebas, anteqvam noſſes. Multum commenta eſt antiqvitas, vt Herculis pueritiæ Divinum qvidpiam adſtrueret, Achillis rude adhuc Ingenium à ſemideo excultum Chirone, interq; nemorum abdita inſtructum (qva ſi prius illi cum feris & rupibus certandum foret qvam cum hominibus) profeſſa eſt, ut creſcentem aliorum ætatem inſpem futuræ magnanimitatis erigeret; ætas Tua nec aſſurgit nec commendatur mendacio:

*Auſonius.*

Affe-

Affectant alii qvidqvid, fingiq; laborant, Claudianus
Hoc donat Natura tibi.

Si prolem Mars susciperet ex Minerva, eam spẽ de se faceret, qvam Tu etiam prævenis, & ea præstas, propter qvæ acclamatum alteri: *qvidqvid humani generis floris est, habes.* Cassiodorus. Multam vero partem eorum qvæ agis gloriosè, ILLVSTRISSIME DOMINE, Magnis debes Natalibus, Divorũq; Progenitorum, in qvæ successisti, exemplis. In ILLVSTRISSIMA RZEWVSCIORVM Domo *natus es ad omnia qvæ recte facienda sunt.* Velleius Paterculus. Coæva Poloniæ Domus Tua, Visimirum Sarmatico dedit Throno, ut easdem cunas Gentis magnitudo & RZEWVSCIORVM gloria sortiretur. Hic jam in Celsissimæ Domûs Tuæ encomia audax involaret calamus ILLVSTRISSIME DOMINE, grandem texeret, & vix à tota posteritate evolvendum, Majorum tuorum elenchum, nisi id tam esset temerarium, qvàm meridiani solis radios ad calculum velle revocare. Itaq; post Solii Majestatem, post tot Ducum gloriam, grandiumq; pace ac bello in eminentissima fortuna Virorum magnitudinem, qvæ õnia Domus RZEWVSCIORVM complexa est, Valerius Maximus. ( *inde enim oriebantur Camilli, Scipiones, Marcelli, Fabii,* ) qvæ tenuitas Oratoris deterere veretur, Avum

TuumILLVSTRISSIME IVVENIS, in qvo uno omnium adeò Maximorum Ducum Regūq; cumulata virtus refulget, cuius Tu immortaliū virtutum recordatione frueris, velut Ideā proferam, ad qvam se non tantum Alexandri, Iulii, Pompeii, Catones, si in ætatem nostram redirēt, verum Orbis componat universus. Qvâ parte Austriæ, Pannoniæ, Livoniæ, Podoliæ, Vkrainæq; Cælum imminet, gloriosis victoriis univer sas peragravit; *cum nullo unqvam hostium congressus est, qvē*

Iustinus. *non vicerit, nullam gentem adiit, qvam non calcavit.* Libeat crudam licèt bellorum imaginem intueri, & nu tantia Europæ pene totius redordiri fata. Infuderat non minores vires qvam numerosas copias, ebrius ille tot terrarum cladibus, Turcarum Tyrannus, qvà latè Viennam circumfundunt, Regionibus, adfuit Orthodoxi Belli Imperator, planè homo missus à Deo, IOANNES, POLONIARVM REX, Orientis Fulmen & in una Vienna universæ Europæ defensor gloriosissimus. Adfuit qvoq; ut sangvine ita armis Marti Sarmatico jūctus ILLVSTRISSIMVS RZEWVSKI, Thesaurarius Curiæ Regni, Avus Tuus IVVENIS EXCELLENTISSIME, ibiq; Regio consilio, manu RZEWVSCIANA, ille tot Regnorū prædo, qvi in Au-

striaca

ſtriaca Vienna oppugnatam, & iam prope expugnatam credebat Europam, iis cladibus paucas intra horas, affectꝰ eſt, qvas aliis integræ vix ætates intuliſſent. Iã ultorẽ Svecia, jã vindicẽ Tartaria, & non uno conflictu domitorem ſenſit Turcia, ac dejectis animis, proſtratis viribꝰ Poloniæ defenſorem adoravit. Sed æqvè illi promptum erat arma ſumere pro Patria, ac ponere glorioſè, ſagumq; Togâ permutare. Ivit in Orientem grandis Lechici Solii Cineas, ſeculis daturus documentum, non armis tantum ſe potuiſſe hoſtiles exercitꝰ, verũ animoſ qvoq;, inermi licèt facũdiâ, expugnare; ſuſpexêre barbari, ſvadâ pro Patria decertantem, qvẽq; horruêre victorem, Legatum & pacis ſeqveſtrum amavêre. Qvæ verò audebit eloquentia glorioſiſſimi æqvè ac fortunatiſſimi Parentis Tui proferre dotes, recenſere virtutes, cumulare laudes ILLVSTRISSIMI ac EXCELLENTISSIMI STANISLAI MATTHÆI RZEWVSKI PALATINI PODLACHIÆ EXERCITVVM POLONIÆ CAMPI DVCIS INVICTISSIMI. Si fortitudinẽ ejus, qvi

Cunctas bellorum poſſidet artes (Claudianus.)

aggrediar, jam ſe ingentes oculis ingerũt exercitus, qvos ita Patriæ hoſtibꝰ opponebat ſéper-



Flos

*Virgilius.* Flos veterum virtusq; Ducum

ILLVSTRISSIMVS PROGENITOR Tuus, ut nulli forsitã sit imitabilis, propter illam & bellorum qvæ sustinuit, & virtutum qvas exhibuit, & facinorum qvæ gessit, magnitudinẽ. Felix Polonia qvod illum Ducem habeat, cujus virtute defenditur, fortitudine stabilitur, & gestis gloriosè supra maximorum Regum assurgit gloriam. Sed qvantis, post Regni Exercitus, ad bellum sẽper comitatus virtutibus procedit, DVX, post actos retro Gloriosissimus; præit fortitudo animi, qvæ nihil non audet, seqvitur providentia, qvæ nihil non cavet, sagacitas qvæ aliena consilia exploret, prudentia, qvæ sua tegat, celeritas, qvæ hostium festinationẽ antevertat, constantia, qvæ ipsorũ pertinaciam expugnet, clementia, qvæ victoriã ipsam vincat. Hæ Magni DVCIS lateri hærent semper virtutes, qvibꝰ ille cinctus, ea renovat facinora, qvæ admirata est ãtiqvitas, ea patrat, qvæ õnis admirabitur posteritas, vix ulla imitãdo cõseqvetur. Et inde est qvod universæ planè artes ut de Victoriosissimo DVCE contendunt, ita conqveruntur; grandis, artis pictoriæ, suo cum Apelle Zeuxe, Parrhasioq; qverela est, qvod nullis coloribus, oris Majestatem, & non unius

tan-

tantum Exercitûs, verum orbis totius imperia merentis, in tabulas transferre qveat. Iam Praxitelem, Lysippum, Myronem, & sexcentos artis statuariæ principes, urit ambitus, ut illa totius corporis dignitas marmore recipiatur, & hic nobiles illorum curæ, felices alibi, vim amittunt, & propè intereunt. In aliorum laudibus, Pòësis, fingendiq; ars, suas, prope divinè partes obit, hic, veræ laudis magnitudine obruta succumbit. Veremur adhuc, ne Historia qvoq; in partem qverelarum veniat, sibiq; fidem abrogari metuat, incredibilibus planè gestis DVCIS Maximi. Sed parum est DVCI Magnanimo, manu res augere Patriæ, qvin eam consilio qvoq; juvet. Pleriq; ita fulgent in castrẽsi pulvere, ut in aulico splendore obsolescant, heroes foris, domi vix homines. Magnum jura hostibus imponere, sed majus populos emendare legibus. Præstat hoc copiosè Patriæ, pacis artibus pariter, ac bellorum gloriâ insignis, Grandis Parens Tuus, ILLVSTRISSIME DOMINE, adeo ut in illius unius mente, tota Patria innitatur ac conqviescat, cui ille plurimum tribuit ut Parenti optimæ, verus Pater Patriæ. Qvidqvid magnum & memorabile ætate nostrâ vidit Polonia, totum id ex fonte consiliorum Magni Senatoris fluxisse scimus,

Seneca. *qvi ideo arma habet, ut iis in munimentum pacis utatur.* Ita ille pro libertate & salute universorum, prodigiis semper similia gerit, ut jurè illi grata subscribat posteritas:

Daves. Ducum virtus coit omnis in unum.

Qvæcunq; licentia bellorum civilium dilapsa fluxêre, ea legum severitate vincire, Magnus Consiliorum Arbiter, ubi in civilibus Comitiis, de belli & pacis jure, de revocanda majorum disciplina certatur, nititur. Sed ut nunqvam magnæ virtuti non comes est invidia, fortunaq; iniqvior, cum hac periculũ fecit virium DVX fortissimus, illam, qvia extingvi non potest, exarmavit. Grandes hi magnarum mentium scopuli, virtutis impetum Magni Imperatoris retardare potuerunt, virtutem verò, nec frangere, nec debilitare, qvotiesq; magno velut Herculi hæc monstra sese opposuêre, toties recessêre, illibatâ & inviolatâ Ductoris Exercituũ Gloriosissimi dignitate. Iam qvalem se in magna potestate commodat universis? *sermone affabilis, accessuq; facilis, vultu qvi maximè populos demeretur, amabilis, æqvis de-* Seneca. *sideriis propensus.* Vereantur necesse est modestiæ illius censuram, qvi parvis initiis, ad culmen aliqvod, fortunæ ludo emersêre, rari in publico, adiri difficiles, tãqvã homines videri indignẽtur, &

tur, & jã divina præsumãt. DVX noster, dignitatum fastigia Natalibus meritus, privatæ fortunæ, nominis permiscet eminentiam; & vota mortalium è proximo aspicit, *potestate DVX, beneficio popularis.* Sic Tibi ILLVSTRISSIME CAPITANEE tot Atavi Heròés, grandis Avus, & utrisq; major Parens Tuus *Isocrates de Theseo.*

par Gradivo, per secula tellus,

Cûi similem nũqvã Ductorẽ in bella creavit *Silius Italicus.*

ad immortalis famæ adita præivêre. Sed ne omnia Divis Progenitoribus Tuis deberes, etsi *per omnes Paternarum laudum vias incedis*, fecit virtꝰ Tua, *Nazarius.* qvâ tantum ætatem Tuam superâsti, qvantum Te Majores Tui. Musas inter, qvibus primum ætatis florem consecrâsti, eam, cæleste ingenium Tuum imbibit scientiarum facultatem, ac facilitatem, ut ipsemet Apollo à Tuo penderet ore, Mercurius se, in Te miraretur

Inq; uno Latium *Claudianus*

adoraret. Instituitur hactenus doctrinæ Tuæ præceptis Athenei nostri Leopoliensis arena literaria, cui non levia eruditionis magnæ vestigia impressisti, adeò, ut multis admirationem, plurimis stuporem, reliqvis extorqveas desperationem, qvod hucusq; ingenii Tui felicitatem conseqvi non potuerint. Sed parum erat ut sci

 entiis

entiis emineret excelsus animus Tuus ILLVSTRISSIME DOMINE, nisi eum sustentãdæ Patriæ, utpote tãtæ molis jam capacẽ, cõmodares. Ivisti nuper ad Regni Comitia, verius Numinum consessũ, lectissimus Palatinatûs Tui Nuntius, qvo Tecum salus publica, spes universorum, cunctorum vota perrexêre. Ea Majestas in vultu tuo, ea gravitas in moribus, ea moderationis modestiæq; in sensu, consensio effulsit, ut plane e fronte Tua legeretur, nihil aliud Te velle, nisi Sacrorum inviolabilem conservationem, convulsarum legum integritatem, ac Polonæ, ad invidiam totius Europæ, libertatis assertionem. Qvæ verò in illo, omnium Ordinũ Lechiæ, non semel coacto, egisti Cõcilio, recẽsendũ, ac invidiæ seculorum porrigendum, gratæ posteritati relinqvo. Ita maximæ olim famæ Tuæ prælusisti EXCELLENTISSIME DOMINE, agendo tam magna, *ut in omnium virtutum exempla genitus* videaris. Tantumne hæc egisti? nunqvam gradum profers, qvin ubiq; Te gloria, velut umbra comitetur. Iam *à te exigis, qvid qvid Majores fuerunt*, & licet non ferro adhuc per ætatem, famæ tamen viribus, Magni DVCIS Filius, vincis reliqvos. Qvis qvis æqvitate, qvis qvis fortitudine, qvis qvis boni publici studio

*Velleius Paterculus.*

*Puteanus.*

præ-

præſtat aliis, hunc Tibi conjungis; pro! qvanta & qvam multiplex in ætate Tua virtus efflore-ſcit, Religioni ad præſidium, Poloniæ ad ſplen-dorem, Principibus viris ad exemplum, Euro-pæ ad ſpectaculum, ac orbi pene univerſo ad mi-raculum. Hæc nec Magnus Macedo, jam factus famæ ſuæ auctor, præſtitit, qvæ Tu, ſpe citius æ-tatem antevertendo, perficis. Donâſſent uti-nam Superi eam felicitatem artibus, ut virtutes effingerent, qvod non cælum? qvi non penicil-lus? Tuis dotibus animaret tabulas, erudiret marmora. Interim verò cum Te ILLVSTRIS SIME DOMINE ars conſeqvi, ingeniiq; vis nulla aſſeqvi poſſit, patieris rudem hunc planè, ſi Tuo cum Genio conferatur, laborem, oculis Tuis obtrudi, & ut olim Scipioni

Semper erat Vatum maxima cura Duci Claudian9.

ita EXCELLENTISSIMI Exercituum Po-loniæ DVCIS, FILIO, in Divi FRANCISCI REGIS enarrandis virtutibus exercita Pòéſis, ſit cordi. Sic obtrectantium livori non pote-rit diſplicere, qvod Autoris votum eſt, ſi Tibi ILLVSTRISSIME DOMINE arriſſerit, ſi Tuis teretur manibus, feretur per ora cuncto-rum, ſi à Tuo Nomine Præſidium mutuaverit, eveniet, qvòd Theatro Pompeii contigit, qvod

magis commendabat Magni Nomen, qvàm marmor vel aurum qvo nitebat. Id mihi amor Tuus in Divos ILLVSTRISSIME DOMINE, id pronus semper in Societatem IESV animus, id deniq; profusa Tua in Authorem pollicetur benevolentia, qui procumbit.

ILLVSTRISSIMO
ac
EXCELLENTISSIMO
NOMINI TVO
obligatus

FRANCISCVS MANIECKI
Societatis IESV

# CARMEN

Unde novis Superûm micuerunt atria flāmis?
Vnde faces fulsêre polo? Sol purior axe
Intendit crinale jubar, ſtimulatqve jugales,
Inſolitum temone diem ſparſurus in Orbe.
Ipſe ſuis quantum formoſior ignibus ardet!
Et ſervituros radios diſpenſat habenis.
Quin Capitolinis, habitus ſuccincta verendos
Præforibus cui pōpa ſtrepit? cui deſtinat Aras?

Romuleus, quo non Caput est sublimius ullum,
Arbiter, & sacris adolens Altaria fumis,
Acclinat septem submisso vertice colles.
Gallica Festivo sonuerunt carmine rura,
Laurigero serpunt argentea lilia poste;
Enneas populata rosas Hyblæaqve prata,
Qualibus ornantur Cælestia Numina sertis,
Talibus exultat faustum redimita coronis
Francia: cum tenera miscentur prole parentes
Virginibus certant matres, sociata Qviritûm
Vota favent lætis populorum vocibus, omnis
Thure Domus Superûm caluit, delubra piorum
Dona ferunt sacrata, novo cumulantur honore.
Pandite Pierides, cui Sidera, Gallia, & ipsa
Roma vacat, cuius Numen virtutis adorat?
Nobile liligeri decus emicat æthere Sceptri, fronte
FRANCISCVS, triplici cinctꝰ Thaumātide
Cui meritam donant Romana oracula laurum.
Grādior & Titulis, & honoribus auctior, Astris
Permiscet sublime caput; quæ gloria maior?
Fama datur meritis totum fluxura per Orbem,
Hanc canimus. Modò Dive lyrā permitte recli-
Auspiciis animare tuis, Geniumqve Beatæ (nem
Da Mentis libare fides, Helicone remoto.
Annuis? o qvantum crescit fiducia Vati!
Totaqve Divinus iam versat pectora fervor,

*Beati titulo donatur.*

For-

Fortè alijs majore tubâ cantabitur alter
Supra alios nostrum Te surget Apolline carmẽ
Desplasiam fortes stirpem coluêre Rutheni, Genus Beati Regis.
Francigenas inter non ultima portio terras,
Altrix virtutum bellatorumqve virorum.
Fontibus his fluxit, non nuper cognita Gallis,
Illustri semper ducens ab origine nomen,
REGIA progenies, priscis qvæ moribus aucta
Ac opibus Proavûm q́; bonis suffulta per ævum
Educat ingentes animâs castrisq́; Togæq́;
Pignoraqve immenso non aversata Tonanti.
Solverat Astrorum monitu Lucina verendũ
Fæcundi jam ventris onus, puerumq́; Parenti,
Ambrosio complexa sinu commisit alendum.
Addidit & fati prænuntia verba futuri:
Iam tibi parve puer cladem molitur avernus,
Et tempestivo tua carpere stamina morsu
Fæx erebi tentat, formidatumqve barathro
Perdere si neqveat magnis tamen æstuat ausis:
Sed Superis est cura tui, vindexque salutis
Est DEVS ipse tuæ, nocituraq́; monstra potẽter
Reprimet, inq́; suas coget remeare cavernas.
Interea stygias contra munimina pestes
Lustrali de fonte petit, sincera Parentum
Nec dubitanda fides. Cælesti tingitur ex quo
Rore infans, candore nives, Riphæaq́; vincit

Durati criſtalla gelu, cêu gemma nitorem
Combibit æthereũ, vitreis vel merſus in undis
Purior è puris Narciſſus fluctibus exit,
Sic puer elutus Divino nectare, candet.
Tunc Phlegetonteis ulularûnt agmina ripis
Peſtifero protruſa ſinu, mugitibus omnem
Aéra terrificis complent, horrore moventur
Tartara, palleſcit gemini fax publica mundi,
Incertum qvid Fata ferant, qvid parturit orcus,
Vna per infernos vox tantum miſſa receſſus,
Tiſiphonen gemitus lamentaq; triſtia produnt:
O miſeræ ploranda ſtygis fortuna! furores,
Arma, venena, faces, non profectura tenemus;
Iam pueri vincunt pigmæaq; Caſtra triumphãt
Tænarias Acies, invictaq; pectora terrent,
Inqve fugam vertunt, qvi nec didicêre ferire.
Liligeri nuper protruſus Stemmatis infans,
*Erebo inviſus* REGIA ſtirps, erebo puerili mente pudendũ
Arcanumque nefas jam nunc portẽdit, & auſu,
Cum puero creſcente pari, certamina creſcent.
Quid ſegnes cunctamur adhuc? qvin perdimus
Inviſam Sobolem? cunas Iunonis iniqvæ { orco
Artibus aggrediar, ſed plus Serpente nocebo.
In partem ſceleris veniet, partemq; furoris,
Conſcia Theſſalicos miſcere venefica ſuccos
Et nondum rabidis tentata aconita novercis.

Cin-

Cynthia noctis iter mediũ iã fortè premebat:
Cum tenero nutrix mammæ lactentis edule,
His dapibus pulsura famem, properabat alũno
Promere, sed vacuum nutrix infante cubile
Palpat, & extincto fumantem lumine lychnum
Repperit, ergo implet magnis ululatibus ædes,
Tota domus subitis pavet experrecta qverelis.
Perculsa insolito genitrix clamore Paterqve,
Ad cunas gressum præsaga mente ferebant,
Cum gerulam cernunt ita flebile lamentantem:
O amor! o nostræ concredite parvule curæ!
Nũc dolor & plãctꝰ! qvis te mihi casus ademit?

*Cunis dæmonum vi excussus.*

Excipit attonitus lachrymosæ verba furentis
Et Pater & genitrix, natum periisse cubili
Ingemuit pariter, gemitumq; in dicta resolvit:
Spes optata Domûs, solamen, imago Parentis
Vivida, flos Thalami, columen sperabile gentis,
Omnia rapta simul tecum, omnia perdita nate!
Si placuit Superis, felix eat hostia Cælo
Orcus in innocuum nam nil puto juris habebat.
Interea totis discurritur ædibus , omnes
Angulus õnis habet, penetrãt & in abdita sese;
Lassanturq; greges famulorum; deside curâ ( rat.
Nusqvã marcet amor, nec segnis cũcta perer-
Ecce sub excusso, proles prope perdita, lecto
Nutricis plorantis, humũ prostrata terebat,

*Ope divinâ illæsus servatur.*

Inviolata tamen quamvis projecta jaceret.
Vix compos mentis, puerum Pater ipse repertū
Corripit intrepidum pavidus, patrioq; timore
Se probat esse Patrem, pallentia sustulit altum
Ora, nec invito maduerunt lumina fletu.
Tunc menti sensus rediit, tunc pectora vires
Voxq; subit fauces, & festinata cucurrit:
O vigiles Superûm curas! intentaq; nostris
Agmina subsidiis, & amica potentia terris
Aligerûm Suprema Cohors, custodia mundum
Vestra regit, Clypeoq; tegit; tutoribus Astris
Nil erebo licuit, nihil indignantibus antris
Stridentiq; cani. Semper tibi nostra litabit
Vota Domus gratesq; Deus; servetur in usus
Sic servata tuos proles, hoc fædere vitam
Acceptam referet, tibi qvam debere fatemur,
Et dum fata sinunt meritos referemus honores.
Dixerat, & fausto puer edidit omina risu
Totaq; gratanti plausit simul Aula tumultu.
Mox infantili succedens firmior ætas
*Primam ætatem laudabiliter agit.*
Cum segetes iā qvinta novas absconderet æstas
Nil spirat mortale, nihil iuvenile, modestam
Castus habet faciem candor, maturior annis
Promicat è vultu pietas, seniumq; verendæ
Virtutis non frontis erat: superare Catonem
Provectæ species poterat probitatis, & ipsos
Syl-

Sylvarum longo celebres æqvare recessu
Arsenios, Paulos, Sexcentaq; Nomina Divûm;
Qualis ubi æqvoreo Titan cum fortè cubili
Nascitur, assurgens primo sevincit in ortu
Nil parvum præstans mundo, licet axe remotus
Distet ab excelso radiis tamen omnia complet
Cêu solet immenso splendere altissimus Orbi.
Iam Iuvenis Patrias animo cõplexus Athenas
Incumbit studiis, desudatamq; labore
Ingenii, Laurum recipit donante Minervâ.
Iam comes Astrorũ graditur, præcepta Platonis
Combibit & Vatum mendacia grata pererrat
Cunctaq; facundæ versat monumenta Palæstræ;
Cum subito per prata vagus, per & arva, sopore
Corripitur, geminas distendens Morpheus alas *Somno inter deambulandum opprimitur.*
Vitrea somniferis adspergit lumina succis;
Pergit mentis inops & cassus luminis errat,
Nec videt errorem, nec & ipsa pericula cernit.
Sic Somno oppressus spatium cõfecerat ingẽs
Tum super infidæ consistit margine ripæ,
Et bene consistit; tantum distabat ab undis
Vno nempe gradu, qvem si movisset, aqvarum
Præda foret, fluvio nunqvam emersura profũdo.
Sed Superi vetuêre nefas, discrimine inipso *Supra márginem Ope divina somnũ excutit.*
Evigilat, subitumq; videns instare periclûm
Qualis amat cerni pluvialis Cynthia, nimbis

 Cir-

Circumfuſa, puer toto ſic palluit ore
Præcipitiq́; rapit feſtinus ab aggere greſſum.
Qvis tibi tunc animꝰ? qvæ mẽs FRANCISCE
O nunqvã Superos (ait) intermiſſa clientũ (paventis
Cura tenet properate metus ſubitiq́; furores
Si polus excubias peragit, ſi munit & ipſo
Cuſtodes tutore ruunt ex æthere miſsi.
Bis prope jã denos numerabat Tyro Decẽbres
Cum pia qvæ tacitis hærebat flamma medullis
Dat matura faces, & apertis ignibus exit.
*Societatem Ieſu ingredi ſtatuit*
Signa ſeqvi certus Cæleſtia, caſtra petebat
Qvæ Ductor Lojola regit bellator ubiq́;
Strenuus, intrepidas ducens in prælia turmas
Atq́; animæ largas, quo ſpes vocat una ſalutis
Romuleæq́; jubet Pater urbis & Arbiter orbis.
Sicq́; animo tacitus votum prius omne peregit:
Qvid mihi cum titulis & iniqvæ munere ſortis?
Qvid qvod opes, qvod rura mihi, qvod Maxima
Gallia donet Avos? ſpecioſa pericula qvãtũ (claros
Imponunt oculis! animiſq́; furentibus hauſta
Exitium celerant inopinaq́; fata propinant;
Arriſit fortuna licet, ridebimus amplæ
Blandimenta Domûs & inanis pabula famæ;
Inſultare placet Trabeis & ſangvinis alti
Exuviis, qvas linqvo libens ſpectantibus aſtris,
Et Domini tantum metuenda vocabula vulgo.

Nobili-

Nobilius nomen contempto nomine ſurget.
Audiit hæc, teneri qvi corda coqvebat alũni,
Inq; parem Cæleſtis amor mutatus ephebum,
Adstitit, et propior Deus interpellat amantem:
Perge celer Iuvenis Patrias extingvere ceras
I, Proavûm fuscos tumidâ fuligine vultus
Irradiet probitatis honor, de ſtrage cadentis
Fortunæ sublime caput ſuper Aſtra leuabis,
Noctem poſt ſoles adama, felicior umbris
Qvám facib9 multoq; die radiisq; futurus.
Eſt mihi belligeræ locus inter vaſta Toloſſæ
Mænia, ſidereis vernans cêu floribus hortus
Ingeniis, hæc magna ſinu complexa verendo
Gallia, finitimis ingens decus educat Aſtris,
Caſta Parens florum qvæ nil nisi lilia gignit;
Illic sublimis pietas post Aſtra ſecundam
Nacta Domum, ſedem poſuit, Numenq; locavit.
Hic teneræ mentes magnos formantur in uſus,
Imbelliſq; ætas provectam combibit altè
Virtutem, ſtudium probitatis in ædibus iſtis
Non marcet, Lojola Pater præit, utile mundo
Editus exemplar, Divûm Dux, Divus & ipſe.
Non plus Palladios inter Veſtæq; receſſus
Diſcere mentitis potuit Sacra turba Deabus,
Qvin nec in arcanis habitator plurimus antris
Sideribus Cæloq; vacans, ſectator eremi

Et rigidæ virtutis amans, horrore magistro
Plus unqvam profecit inops. Concede Tolossã,
Et novus antiqvis nec iners Heroibus Heros
Immistus, parili juvenis sociare juventæ
Concordes qvos arcta facit reverentia legum,
Curaq; communis, lucri cælestis, adunat.
Exprime festinis veterani, moribus ævi,
Virtutes, mentis vehemens Ignatius olim
Qualis erat, sacro postqvam populãte medullas
Igne, citus mundiq; plagas pelagiq; remotas
Ambages transmisit ovans bene credulus astris,
Fulmineis rabidum concussit viribus orcum,
Ac erebi male fusa vadis nova monstra, rebelli
Mente gi-ganteos ausus imitata, coegit
Vt domitâ cervice cadant, mundoq; relicto,
Nativo stygiæ mergantur in amne paludis,
Ni flecti faciles unum caput orbis adorent.
Præluxêre tuis tam grandia Sidera votis,
Exemplisq; vocant, velis remisq; carinæ
Incumbas, Patriæq; legas vestigia plantæ,
Donec meta tui fiat Deus ultima cursus.
Hæc monuit Divinus amor; cũ Numine plenũ
Incaluit pectus geminatis ignibus, Ætnæ
Concepisse putes Iuvenis præcordia flammas,
Aût prope flãmivomum migrâsse in casta Vese-vum
Viscera, ceu Liparæ violẽtior æstus adurat,
Tan-

Tanta flagrant totis diffusa incendia fibris.
Iam præpes molitur iter, Cælumq; secutus
Qvâ Iuvenes abiêre pii lectissima pubes,
Nobile par Divûm, duo lucida Sidera, Kostka
Et Gonzaga, volat, mundũ post terga relinqvẽs,
Et Patriam Patriæq; focos carosq; penates,
Et qvod magnificũ spirabant nomina REGIS,
Cêu scelus & superis invisa piacula damnat,
Ac Ignatiadum nomen dedit impiger albo.
Hic præconceptos animo cêu fluminis alvêo
Temperat ardores, voti jam compos & undæ;
Haûd aliter, Lybicis cervus qvã pulsus ab ãtris
Vrget iter, Zephiros cursu prævertit & Euros,
Vt sedare sitim possit fugitivus in amne,
Vel morsus vitare canum latratibus actus,
Saucia letali cum sensit arundine terga,
In notos procurrit agros, teliq; venenis
Qværit opem, medicis vitã restauret ut herbis.
Non ignavus obit custos edicta Parentis, *In Tyrociniopræit alijs exemplo.*
Sedulus inculcat menti qværcunq; magister,
Numinis & digito firmata volumina mõstrãt.
Spem superat gestis adolescens, vota regentûm
Præcurrit virtute puer, similisq; columnis
Qvas Mẽphim populata tulit Romana vetustas,
Fundamenta jacit celsæ probitatis ab imo.
Iam vacuam mundo, plenam sed Numine mẽtem

Borgia, FRANCISCI cognominis occupat ōnē
Borgia, magnorum titulis excelsus Avorum,
Gemma Ducum, nuper vicina potentia sceptris,
Strage coronarum jam nunc qvoq; grādior ipsis
Principibus, vulgare genus pietatis honorans
Contemptu fortuna tuo; mundoq; sibiq;
Imposuit virtute modum, Dux absq; Tyaris.
Totus in innocuis formatur moribus alter
Xavier, arcta sui retinens moderamina victor
Orbis amore calēs gemini, qvē subdere vellet
Numinis imperio, voto se major & orbe.
Post Navarrei, qvo fluxit sangvinis altum,
Oceani dubiis hic Nomen miscuit undis,
Illius edomitus postqvam miracula sensit
Nereus, amisit jus & moderamen aqvarum.
Sistere qvin jussus radiorum Phæbus habenas
Prodigio superante fidem, lucisq; diurnum
Imperium cessit, terras stupefecit & ignem
Et servire sibi virtus elementa coëgit.
His Ducibus grandes probitas surgebat in aus9
Æmula, solus erat labor exæqvare priorum
Sublimes animos & non fugientia dura
Pectora; cêu crescens reparatur lumine phæbi
Cynthia, dum pleno par fratri splendeat orbe:
Vtq; leo Patriis qvi dudum inglorius antris
Delituit, nondumq; suæ bene conscius iræ
Cum

Cum videt altorem tabo rubu isse juvenci,
Tentat inexpertas vires, & verbera caudæ
Consulit, intrepidus fulvo comes inde Parenti
Prosilit è latebris, indignatusq; cubile,
Qvod tacitâ ingenitã virtutem rupe premebat,
Vtitur ipse suis jam libertate potitus
Vngvibus, & torvo præreptam dente magistro
Prædã agit exultãs, & vim prope Patris adæqvat
Si non & vincit, pulchro conamine natus.

Maxima FRANCISCO integrum stat cura pudorem
Et mẽtis servare nives, qvêis lactea cedũt
Lilia qvæ glaciem superent Floræq; ligustra:
Excubat ergo vigil teneri qvæ temperat ævi
Ardores Metanæa, truces armata cãstas;
Sidereo qvin casta fides armatur amore;
Hâc face perpetuas aluit velut Æt-na pruinas.
Et gẽmis certare potẽs & oloribꝰ, ipso
Cãdidior cãdore, decꝰ violabile nũqvã
Læve velut speculũ næviq; & vulneris expers
Pertulit innocuos suprema ad fata nitores.

*Puritatem animi illibatã servat*

Fluxit inoffensæ dum pars ita magna juvẽtæ,
Sacratis pietas admota est dignior Aris:
Iã novꝰ Herculeos superabat Mysta labores,
Cum Deꝰ ipse suis niveâ sub nube levandus
Incubuit manibꝰ; qvem nõ Atlãta fatiget
Tãtũ onus! attonitas tenuit sacra põpa cohortes

*Cum primam hostiam Deo litaret, & aliàs, adstantiũ accendebat animos.*



Side-

Sidereas, propè cuncta ruunt ex æthere Divûm
Agmina, ad adventum submissâ voce vocati
Numinis; hic totâ sacris ubi mente vacabat
FRANCISCVS, vulgi penitis incendia fibris
Serpebant, tacitis populantia corda favillis.
Insolitas caluisse faces sub pectore cuncti
Mirãtur, Phàétonta novũ rursumne Tonãtis
Fulmen ab excelsa cũ flãmis arce rotavit? (qvebat,
Ignea FRANCISCVM quæ vis per mẽbra co-
Per gelidos populorum animos infuderat æstus.
Sicq; salutiferas rem confecturus ad Aras
Cũ stetit, & qvoties Cereris sub imagine Numẽ
Libabat, toties sacer impetus intima plebis,
Divinũ magnumq; aliqvid svasurus, habebat.
Hic mihi jã pelagus Parnassia pãditur ingẽs
Numina, fatidico mortalem excludite mẽtem
Pectore, nũc totus ruat in præcordia Phæb9,
Divinumq; melos- Patuit tam grãde laborum,
*Zelus divi Apostolicus totâ Franciâ notissimus.*
Sudatũq; diu, stat Francia qvãta, theatrum.
Iam videor pullæ sqvalentẽ in funere pallæ
Magnanimũ spectare Ducem, cui sole sub omni
Est amor effuso palmas sudore mereri;
Vt volat in campos! ut mille pericula solus
Provocat! ut scopulis certat! Cæloq; minantes
Proterit, ipse licèt generosis Pelion obstet
Ausibus, intrepido pede proculcatur, & alto
Alti-

Altior insultat mōti FRANCISCVS, & unꝰ
Omnibus occurrit fatis, metuēda vel ipsi (gens.
Encelado aggreditur, spe plus quàm sidera tā-
Pro! qvoties fratrum, desertorumq; rebelles,
In jugulum intentos Matris, satiare furores
Sangvine poscebat fuso, vigil ista revolvens:
Ergo mori nunqvam, ignavâ nisi morte licebit?
Et vacuum laudis trāsmittere nomen in ævum?
Hactenus invito mihi servant Astra salutem,
Me puto me dignum fatis crudelibus, audax
Pectore flamma suas vires exploret in isto,
Nec cūctātē animā ferrum scrutetur, ovantem
Me tegerent scopuli, me optabilis unda feriret.
Aût si neglectæ dedit unqvam membra qvieti,
Tristia nocturno lustrans ergastula visu
Ingemit, & strictos velut obvius iret in enses
Prosilit, ac mortem confusâ voce salutat,
Perq; genas largo sparsus sudore, futuras
Expectat cædes, & inania fata reqvirit.
Hæc animi tormēta sui FRANCISCVS alebat,
Nec satiatus erat, geminæq; cupidine palmæ,
Omnis in expleto, leti fervebat amore.
Tales dum nutrit curas, Mars audit, & ultrò
Fata lacessentē, Scythico speculatus ab Hæmo,
Dij similes (inqvit) bellis concedite mentes,
Fæta pares matrum protrudant viscera partus;

Odrysiam nunqvã repetam post arma qvietem,
Haustus sub galeâ pulvis durabit, & altâ
Perpetuus sudor stagnabit fronte, recurvus
Vaginam gladius non suspirabit, in armis
Totus erit, Mars qvantus erit; Capitolia nostra
Tuta forent, qvæ fata premũt, meliusq; Camilli.
Scipiadumq; ausu valido defensa manerent.

Sed qvia nulla data est generosæ copia mortis,
Cum sylvis saxisq; pium certamen inibat.
Vnica FRANCISCO, populorũ vita, salusq;
Cura fuit, penitis hæc vota hæsêre medullis;
Vnde nec obstantes, miseri solatia vulgi,
In prædam intentus qvæ deproperabat abundè
Tardabant cautes. Hyemis qvin sæva legebat
Frigora, virtutem pius exerceret ut erro
Aspera per nivium, glacieĩq; Aqvilonib9 auctã:
Sub Getico sudare polo gelidâq; sub Arcto
Gaudebat, mediis certans ardere pruinis.
Præcipiti forsan luctantem tramite, semper
Invida magnanimis Divûm suspexerat ausis
Alecto, cum fraude novâ deludere tentat
Conatus furiosa pios, mentitaq; sexum,
Pastorem simulat, colubros ciliiq; rigorem
In pexam jubet ire comam, formamq; virilem,
Tum prior orsa loqvi: qvæ pectus cura fatigat?
Pãde precor, per acuta celer per & invia tẽdis

*Hybernum tẽpus legebat missionibus obeundis per montes asperos.*

Qvid

Qvid petitur tanto ſtudio ac errore viarum?
Neſcis qvò properas, habitata cubilia monſtris
Ingrederis, pardiq; truces, torviq; leones
Et nunqvam ſaturata fames metuenda luporũ
Excipiet, cohibes ſi non temerarie greſſum.
Adde qvod hibernis tumuerũt omnia nimbis,
Sub nive crede mihi tegitur dolus, iſte Charyb-(des
Candor habet Scyllaſq; ſuas, deprêndere plantas
Eſt potis incautas greſſu fallente, pruina.
Qvis tibi tunc ardor fuerat? qvantuſq; cucurrit
Sidereus per membra calor? qvâ Dive monentem
Exaudis facie? primum rubuêre, genæq;
Oraq;, non fractæ virtutis conſcia, demum
Indignata ſuos miſerantem pectora caſus,
Paſtorem ſic voce petunt: tantũne capellæ
Iſtud iter relegent? audax Coridone ſeqvẽte
Turba? nec urſorum metuet niviũq; pericla?
Fortibus eſt animi plus bellatoribus, Alpes
Pænus victor adit, nivibuſq; rigentia duris
Dux juga trãſcẽdit; Nemeæ populator arenæ
Præda fit Herculeæ leo dextræ, Mænala ſtrati
Morte supẽba ſuis, virtuſne ignava jacebit?
Et mihi fortis ineſt animus, dũ fortia poſcit
Arbiter Aſtrorum & populi nutãtia fata;
I, molles ſectare vias terroribus actus,
Audiat hæc, ſi qvis comes eſt tibi Tityrus, illũ

Tardet inaccessæ rupis locus, ardua frangant,
Est melior pietas monitor mihi Duxq́; viarum;
Tu seqveris revocasq́; gregẽ per tesqva vagãtẽ
Cur ego non animas per de via lustra reqviram?
Soliciti tantum potuit si cura bubulci
Et qvid non poterit virtus studiosa salutis.
Dixit; & infernis Furiarum maxima ripis
Mergitur, ac erebi patuêre iræq́; doliq́;.
Major ab adversis Divus surgebat, & ausus
Turbabat vis nulla pios; cêu flamma reluctans
Impatiensq́; premi, indigno cũ carcere claudi
Se dolet, erigitur, tantò violentius ardens.
*Disjectâ nive viam sibi aperiebat ut saluti prodesset animarum*
Iam nivedisjectâ, qvoties obstabat eunti
Reptabat, largo propè perdens lumina fletu;
Iam febre torreri visus, letumq́; subire,
Tarda qvod afflictis animarũ cõmoda ferret;
Dumq́; flagrat nimio perituræ plebis amore,
Dum rapidis audax fluviorũ fluctibus obstat,
Dum rigidos silices passu metitur anhelo,
*Crus frãgit.*
Frangit inassvetũ tantos crus ferre labores.
Tunc Stygiæ cecinêre Deæ, fatalia nentes
*DEI favore sanus in pedes erigitur.*
Stamina, jamq́; colos jam rũpere fila parabant,
Cum pede neglecto cêu viribus integer, æger,
Læsi nulla velut metuens discrimina cruris,
Prosilit, & cæptum carpẽs iter avia trãsit,
Emensusq́; viam qvæsita mapalia lustrat.

Immẽsi

Immẽſi portenta pōli! qvis credat? iniqvum
Non ſentit vulnus, pietas infracta dolore,
Ocyus afflicto pede qvin per dura cucurrit,
Ipſaq; fracturam ſolidant incõmoda cruris.
Eacides telo qvamvis impervius omni,
Adverſus Phrigios enſes Phlegetōtis in amne
Munitus, Trojæ ſociaverat Hectora fatis,
Tanta tamen virtus icto pede corruit omnis.
Fortior Antèó poſt lapſum & vulnera REGIS,
Nobiliuſq; pedis jacturam Coclite penſat.
Nec tantum agrorum cultores excolit, ipſis
Qvin etiam Divus prædas agit urbibus amplas; *Proſtibula aditinde qve multas ad meliorẽ frugem reduxit.*
Sacra Dioneis ubi victima ſpurca cadebat
Ædibus irrumpens, temerati jura pudoris
Et raptos ſine lege toros caſtigat, in omnem
Virginitas projecta luem, cêu fulminis igne
Icta repentino, jam priſtina probra refuſis
Emaculat lachrymis, vetitum ſociâſſe cubile
Iam damnat, Paphiæ jam flammis munera lenæ
Devovet, illicitos compeſcens ignibus ignes.
Qvanta Cupidineis objecit ſcuta pharetris
Inclitus everſi vindex tutorq; pudoris,
Et domuit qvamvis ſociatam Cyprida Marti.
Non tulit Idaliis inferri damna maniplis
Leno procax, ſub ſigna ruit laſciva ſatelles
Turpis, Acidalias ulturus ſangvine noxas;

Anicii tanti patuêre theatra furoris;
*Strictis sicariorum gladijs etiã in templo appetitur.* Multa Cynædorum concurrunt agmina, strictis
Muniti gladiis, jurant Acheronta Iovemq́;,
Ipsaq́; qvin statuunt temerare sacraria probro,
Ni datur arte aliâ perdendi copia REGIS.
Dive Pater sêu te faciunt oracula certum
Præscia fatorum, sêu mens trahit ardua, poscens
Victima sacratas fias ut Mystes ad Aras,
Templa subis; animi subitò cecidêre protervis,
*Occulta vi subito mutantur nefarij.* Impiaq́; excussit manibus pavor arma cruentis.
Terruit aspectu, qvi non terrebat iniqvos
Ambrosium qvoties referebat dira tonando.
Extimuit lenem lenonum turba, modestum
Qvemq́; videt, trepidans torvũ putat esse leonẽ
Sẽper eras FRANCISCE lupis hircisq́; ve-
Sed miseri sẽsêre piũ; velut umbo catervæ {rẽd9
*Pauperũ Pater dictus.* Ambivêre latus, gressum qvàcunq́; ferebas,
Teq́; suum dixêre Patrem; debere salutem
Se tibi, communi per compita voce sonabant,
Et fueras pietate Pater; tibi namq́; legebas
*Vigiliarum & Sabbathi diebus mendicat ut miseris opem ferat.* Vnum Dive diem, qvo commoda grata clientũ
Versabas animo, neglectis providus ægris.
Septima lux semper, qvam concedebat egenis,
Præ foribus vidit pulsantem tecta potentûm,
Et dominas aures singultibus advertentem,
Qvos toto pannosa foro fundebat egestas;

Et

Et nunqvam vacuus rediit, referebat abundè
Qvas donaret opes, qvo pallida ritè levaret
Ora fame. Laceras cêu gratum munus abollas,
Centonesq́; diu tritos, sartasq́; lacernas
Servabat custos studiosus. Stragula nunqvam
Tantum vestis erat Lydo pretiosa tyranno,
Non ita Sidonium, geminat, qvam tinxit ahenũ
Coccina palla placet, qvã vilia scruta, tegendo
Apta inopi, potior turpis mihi penula gaza
Indiga, qvâ miseros defendit turba lacertos.

*Vestes tritas assere vabat suumq́; thesaurum dicebat.*

Hic ubi morborum præses patientia sedem
Fixit, & admisso per sæcula longa veneno
Tecta Mephitin olent, virtus animosa terebat
Limina, felici propè nunquam cognita turbæ;
Non sqvalor, nõ putris hydrops, nõ deflua toto
Sputa cruenta sinu violant pia lumina, qvæq́;
Vicinum afflabat, grave olenti tussis odore
Aèra, Pæstanæ visa est sibi fundere Floræ
Munera; non saniem refugit, non ulcera Divus,
Turgentes artus palpat, taboq́; fluentes,
Asperaq́; optantes oculos spectacula pascunt:
Cruda nihil probitas spectabat molle, dolẽti
Adgemit, & serpens vitiata per intima virus,
Cêu sentiret, amãs torqvebat pect9, in omni
Sic lue certabat violens audacia secum.

*Ægrorũ ulcera palpat, illisq́; fingit oscula a qvibus magis abhorrebat.*

Procubuit tandem generosi victima leti,

*Letali morbo decumbis.*

 Chri-

ChriſtiadumDuctor, cõmunis Apoſtolus amplæ
Francigenum gentis, decus immortale Paternæ
Stirpis, amorSuperûm, ſortis contemptor inanis,
Vulgi inopis gratum ſolamen, & una voluptas
*Mortem præſcit.* Agreſtûm. Tanti fuerat mens præſcia fati;
Plurimus Æthereo delabitur Ales Olympo,
Nuntius æternæ legis, cuſtoſq; viarum
Pervigil, & ſummi Iovis invitator ad Aſtra.
Ipſeq; defixos comites, turbamq; fidelem
Attonitam, tantus qvod abit gladiator arenâ,
*Et prædicit.* Admonet inſtantis, cuncti qvâ ſolvimur, horæ,
Atq; ait: hâud ſubitis agitant me fata periclis,
Expectata diu jam nunc ſecat Atropos annos,
Solus, inexpletâ dolor eſt, diſcedere mente,
Qvæ nullis ſatiata malis, fingebat & orbes,
Et ſuffecturas vires ſpondebat abundè.
Nec tamẽ in media mẽs languit aſpera morte;
*Diem, natalem Christi præcedentem, æger egit in ſtabulo frigido.* Qvæ Dõini magnos præceſſit proxima Partus,
Hanc æger ſtabuli exegit ſub tegmine lucem,
Et Iove ſub gelido; gemit illetabile qvamvis,
Ipſã operis vacuã nõ vult qvoq; perdere mortẽ.
*Die Natalis Christi æger ſexies ad populum verba fecit.* Cum Deus humanos oritur tenuatus in artus
Et pia Chriſticolæ còëunt in vota, fatiſcens
Proſiliit ſtrato Divus, modò pulpita pulſans,
Et modò permiſtus turbæ pandebat inerti
Ac avidæ plebi, bister documenta ſalutis,
Sic qvidqvid ſupereſt Parcarum munere vitæ,

Impi-

Impiger impendit, supremâq; utitur horâ.
Iamq; dies aderat, volucrem qvi terminat annum
Vltimus, & Divo pariter pars ultima lucis. *Vltima Decembris exspirat.*
O! malè præcipites populorũ in dãna Decẽbres!
Siccine raptori permittitis omnia fato!
Sic socii. Sed enim qvo lex æterna vocabat,
Iam cupidus leti, properat, mortemq; timere
Nescius, intrepidos ad fata novissima vultus
Componens, ut erat flammatus Numine pectus,
Fervet adhuc, qvãvis sensimq; recedere terras
Ingentesq; animos extremo frigore labi
Sentiat, antiqvæ mordent præcordia curæ.
Et velut in certa FRANCISCVS morte nega-
Exspirare, vigor mediis in vultibus errat {ret
Qvi fuerat, fronte est eadem pietatis imago,
Neve extincta sitis torret velut ante laborum;
Inter conatus tantos in viscera mortem
Accipit, & placido componit lumina somno.
Qvis subitos populi gemitus? qvis verba dolo
Explicet immodici? vel qvis pulsata qverelis (ris
Astra piis referat? dolet hæc, cêu funere tristi *Planctus universorum supra demortuum.*
Immatura rapi videat sibi pignora, clamor
Verberat impulsum singultibus àéra ravcis;
Ille velut fugientem animam genitoris, acerbis,
Impatiens magni luctûs, ululatibus, optet
In corpus revocare, furit, maternaq; tanqvam
Lumina, plus animâ dilecti, nata, neposq;,

Cõprimat, aût uxor trãsfũdat in ora mariti
Qvod superest animæ, cupientis sistere fata,
Aût vitâ ducit redimendum funus & ipsâ;
In fera sic populus lamenta assenserat omnis,
Et lacrimæ exũdãt, rupto velut aggere flumen.

*A morte miraculis coruscat.*

At non in tumulo virtus jacet obruta, major
Exiguos inter cineres consurgit, Eòis
Cêu volucris celebrata plagis, cui funera vitã,
Vitalesq; rogi præbent alimenta favillis.
Te jam Dive, Domus Divûm, stellata recondũt
Atria, virtutes & fortia facta recensent,
Vt meritũ capiti referant diadema; sed ipse
In Patriam revocans mentem, te surripis Astris,
Multus ubiq; cliens, ubi Teq; tuamq; reposcit
Officiosus opẽ: pergis FRANCISCE mereri
De miseris, propiusq; tuos, à morte tribules
Inspicis intentus, gemitusq; agnoscis amantûm.
Qvin Rhodanꝯ nõ est, nõ est tibi Seqvana Dive
Terminus, Evropam morborũ victor & orci,
Orbe licét toto, terris, Cæloq; remotus,
Irreqvietus obis, peragrasq; reclusus in urna·

*Ignium domitor*

Corripuit si flamma nocens penetralia vulgi,
Devotosq; tibi votis communibus, ausus
Vulcanus temerare lares! tu protinus ultor
Dive vocatus ades, grassatoremq; còerces
Mulciberem, profusus in omnia cõmoda totus.

*Pestium propulsator audit.*

Pestiferam bibit illa luem, sparsoq; veneno

Vrbs

Vrbs afflata cadit, contabeſcitq́;, videndo
Nil medicas artes, opobalſama nulla mederi?
Tu pellis FRANCISCE malū, tibi tabida cedit
Puſtula, cū properas precibus de culmine tra-
Sidereo, jam forma redit, jā gratia mēbris, (ctus
Exturbata lues luget, fatumq́; fatiſcit.
Ignis & alterius jecur infernalis adedit,
Cêu Tityi vultur, diriq́; Prometheos artus
Corrodūt aqvilæ, tātos tamen opprimit æſtus
Maxillæ vis magna tuæ, qvæ Dive furentes
Viſcera per, flāmas levat, extingvitq́; nocentes.

*Maxilla Divi gāgranam janat.*

Indomitum Sāſona refers, ſuperaſq́;, tot hoſtes
Ille dedit leto, tu fatis eripis ægros,
Sic maxilla decus peperit Nomenq́; duobus.
Hauſerat inſolitas Toga qvin de corpore vires,
Et velut infuſas medicorum ſentiat artes,
Sic domat attactu morbos, terretq́;, fugatq́;
Totâ non opus eſt, ut vincas Dive, lacernâ,
Partibus in minimis, eſt virtus maxima, veſtis,

*Fragmēta veſtium eius miram vim exercent in morbos.*

Vnica ſudorum qvæ conſcia facta tuorum;
Vilia Dive tuæ chlamydis fragmenta petuntur,
Qvæ miſeris vitæ non vilia dona miniſtrant;
Numen ineſſe putat præſens, & ſentit in illis
Vulgus, & āte Ducū Trabeis ea munera ponit.
Nec cinis eſt ſinè laude tui FRANCISCE ſe-
Gloria par illi magnis qvæ contigit actis; (pulchri
Tāt9 honor rudis eſt tumuli qvo Dive recūbis,

*Cinis tumuli Beati Regis expetitur præſentiſſimum adverſus omne malū remediū.*

Vt nec in áëreas ſubvectа palatia ſedes,
Nec buſtum Mauſole tuum, miracula mundi,
Qvo viſo, Populis creverunt plura, loqvatur
Fama magis, qvàm qvos rapidi vertigine venti
Congeſſit tempus cineres, Zephiriq; volantes,
Et bene vix retinet monumẽti ſũma crepido.
Nõ audet pietas licèt indiga, carpere, qvidqvid
Poſt animã FRANCISCE tui ſupereſſe relictũ
Auguſtos inter cineres miratur; in ipſo
Pulvere ſupremo qværit medicamina morbis,
Et reperit fatiq; necem mortemq́; veneni.
Hauſerit illa, ſuo Regina ſuperba dolore,
Caria qvam Dominam coluit, de funere raptas
Atq́; rogo Regis dilecta marita favillas,
Non profecturos tamẽ ebibit illa liqvores,
At qvodcunq́; ſacrâ Divi depromitur urnâ
Fit medicina malis, fit pignus grãde ſalutis;
Præ tumulo vigilat qvidqvid prodeſſe laborat,
Et nunqvam officiis pietas laſſata, pateſcit.
His meritis tibi creſcit honor, tibi gloria ſurgit:
Dive, quòd exueris qvãvis poſt funera corpus,
Non tamen & curas, populi ſtudioſe ſalutis.
Illa igitur, qvã cũcta colũt, quã mũdꝰ adorat,
Illa Caput ſummum, qvæ Cælo Roma Deoq́;
Se tantùm inclinat, vultus cinereſq́; beatos
Et vivam magnæ ſpeciem probitatis adorat;
Gallia ſic certat meritæ dare civica fronti

*Iam Beatus Frãciſcus ab omnibus colitur.*

Serta

Serta tuæ, qvi non contentus nomine tantùm
Civis, & ultorem fatorum, Dive, Patremq́;
Et Servatorem populi per cuncta gerebas.
Iamq́; tuis, Cidaresq́; Ducum, Regumq́; coronæ,
Et florum qvæ regna tenent, modò lilia prono
Vertice procūbūt, meritis; Tu perge trophæis
Francigenū terras, Patriam te Dive superbam,
Qvin mundum cūulare novis, ut maximus Aris
Assurgat FRANCISCE tuis honor, ultima lau
Interea, qvâ parte poli pia Sidera Gallis (rus.
Incumbunt, totis patuerunt atria Divûm
Postibus, atq́; suum stellati, voce manuq́;

*Divi Terrigenæ ac Apostoli Galliarū auctum Beatorū numerū suo concive lætantur.*

Municipem, Proceres invitant. Carolus inde,
Magnus hic in terris, sed Divos Mãximus inter.
Hinc Gūthram9 adest, Lodoic9 provolat illinc
Gemma coronarū, notissima Nomina sceptris.
Ponè ruunt, thalamis qvas Regū miscuit orbis,
Exemit pietas, magnis vicina Deabus
Numina Reginæ, Clotildis, Nomen & Aris
Augustum, sociat cûi se Bathildis, honores(ceps
Inter, & in solio plus hæc qvàm fæmina Prin-
Liligeræ cōsors micat inde Ioanna coronæ,

*Beata Ioãna Francica septē clavos argenteos regali pectori infixos gestabat.*

Cujus, Amazonidum cōcedūt agmina, magnis
Ausibus; ista thronum pariter pariterq́; perosa
Virgo torū, tantūq́; sui moderamina prensans,
Fixit in augusto pia vindex pectore postqvàm
Argento clavos, qvos Mulciber ipse parârat,

In tormenta sui, pretiosa metalla còegit.
Promit & illa polo, Regni fidissima Custos,
Virgineos vultus, speculū Genovefa pudoris.
Syrmate post longo Divi, majorq; potestas
Pontifices, se se traxerunt; obvius ardet
Remigius, Rhemis cultus, Parisinus at illinc
Accelerat gressum Dyonisius, hausit utroq; (ter
Qvo Doctore fidem gens Francica; Iustus, & al-
Eucherius, Lugdune tuæ duo fulcra Tyaræ.
Cõvenêre, Lupusq; Trecis, Lodoixq; Tolossà,
Mænia tuta qvibus fuerant pastoribus ista.
Martinus Turonum defensor strenuus urbis,
Hinc Arelatensi qvi custos fidus ovili
Cæsarius fuerat, Marcellinusq; Velaunis;
Sidonium Arvernis pietas cognata vocavit,
Mauritium Andegavū misit, Pulchronius ultrò,
Cûi Virodunensis frænavit tænia frontem,
Prosilit ex Astris, festinavitq; Viennæ,
Nunc Desiderius Cæli superûmq;, voluptas.
Non tenuit qvenqvam reqvies sedesq; beata,
Excivit nova põpa tui FRANCISCE triūphi,
Qvotqvot sideribus transcripsit Gallia Divos.
Iamq; comes magnis Heroibus additus, Astra
Dive petis, stipantq; latus, valvasq; recludunt
Innocuæ mentes, nova sidera parturit Æther,
Vt merito Capiti decus immortale laboret.